

Prius .n. erat ut ♂β *ad* ♂λ *minorem quam est dimidia* ♂β, *sic* βϰ *ad* λμ. *Ptolemæo vero esset, ut* ϰΔ *terra ad* ϰΔ *dimidiam, sic* ΔΔ *æqualis ipsi* βϰ *ad* MA.

DENIQVE EADEM & in TYCHONICA hypothesi deducam.



Etsi apud Braheum orbis Martis secat orbem Solis; quia tamen generalia tracto in hac prima parte, & quæ omnibus Planetis conveniũt, ea lui hic excludere hãc intersectionem. Multũ enim obscuritatis in schemate fuerat paritura.

Centro B *scribatur eccentricus Solis* GS, *ut in eo* BG *sit linea apsidum*, C *locus terræ immobilis*, *&* B *punctum æqualitatis, ex sententia authorum*. nam in progressu ostendetur, punctum æqualitatis & centrum eccentrici in theoria Solis non esse idem. *Erigantur ex* BC *perpendiculares* BϚ, CV: *& connectatur* S *cum* C, *ut sit* CV *linea medii &* CS *apparentis motus Solis*.

Etsi igitur TYCHO BRAHE nondum plane concluserat, utrum Planetas ad lineas CV an vero ad CS referret, in prima tamen conceptione lineas CV habuit, uti quidem tomo I Progymnasmatum fol. 477. & tomo II. fol. 188. declaratum reliquit. quam eandem viam ipsa quoq; Ptolemæi & Copernici vestigia ipsi monstrarunt. Hanc a Tychone calcatam viam, si ad mentem Ptolemæi pergamus, dicere oportet, quoties Planeta in lineas CV medii motus Solis incidit e regione Solis, toties illum exuere inæqualitatem secundam, quæ ei accidit ex Brahei sententia, ob motionem centri eccentrici circa terram eodem tempore cum Sole.

Nam ipsum quidem commune punctum, cujus respectu omnes Planetæ motum dicuntur habere eccentricum, & in quo totum systema